reges inclytum tuum. et uocabitur tibi no-men nouum quod os domini nominabit.

Et erit corona glorie in manu domini et diadema regni in manu dei tui. Et uoca.

Beatus iohannes requisitus quis esset. respondit. Ego uox clamantis in deserto. Qui sicut ante nos dictum est. ideo uox a propheta uocatus est. quia uerbum preibat. Quod autem clamaret. aperitur cum subditur. Parate uiam domini. rectas facite semitas eius. Omnis qui fidem rectam et bona opera predicat. quid aliud quam uenienti domino ad corda audientium uiam parat. ut hec uis gratie penetret. et lumen ueritatis illustret. ut rectas deo semitas faciat. dum mundas in animo cogitationes per sermonem bone predicationis informat.

Emitte agnum domine dominatorem terre. De petra deserti ad montem filie Syon.

Rorate celi desuper et nubes pluant iustum. aperiatur terra et germinet saluatorem. De petra.

Omnis uallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur. Quid hoc loco uallium nomine nisi humiles. quid montium et collium nisi superbi homines designantur. In aduentu igitur redemptoris ualles complete. montes uero et colles humiliati sunt. quia iuxta eius uocem. omnisque se exaltat humiliabitur. et qui se humiliat exaltabitur. Uallis etenim impleta crescit. mons autem et collis humiliatus decrescit. quia nimirum in fide mediatoris dei et hominis christi ihesu et gentilitas plenitudinem gratie accepit. et iudea per errorem perfidie hoc unde tumebat perdidit.

Germinauerunt campi heremi germen odoris israhel quia ecce deus noster cum uirtute ueniet et splendor eius cum eo.

Ecce dominator dominus cum uirtute ueniet et splendor.